

Johann Barthold Niemeier Ernst Heinrich Tübbesing


Disputatio Theologica Prior De Gentilium Statu Atque Conditione Post Hanc Vitam

Helmestadii: Schnorrius, 1694

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74682579X>

Druck Freier  Zugang





72.

Handwritten note on a small paper slip, possibly a library label or inventory record, with illegible cursive text.

Fa - 1092 (72.)

Continentur in hoc Volumine:

- i. Pauli Heigelii *disf. de veritate unica religionis christiana, et aliarum, quae praeter hanc in mundo sunt, falsitate.* Resp. Bernh. Kenckel. Helmstad. 1681.
- ii. Metrophanis Crebipuli *confessio catholica et apostolica in Oriente Ecclesiae Graecae conscripta, sed laetitate donata et edita à Joh. Homeio.* Ibid. 1661.
- iii. Eliae Veitlii *defensio exercitationis histor. Theolog. de Ecclesia Graecanica hodierna.* Francof. 1666.
- iv. Mich. Sircii *Religio Moscovitica.* Giesæ 1661.
- v. Joh. Ern. Gerhardi *disf. de Religione ritibus Ecclesiasticis Moscovitarum.* Resp. Joh. Schwabe. Jena 1665.
- vi. *Quod de statu Armeniae Ecclesiastico et politico tam pristino, quam hodierno.* Resp. Mart. Kempio. Jena 1665.
- vii. *Abtract rints sfortibus an sta hmarig Muellem aus Gernanton, in Iona Americani spon provincie Pennsylvania, sponst Nova Suecia, de i. Aug. 1701. Iona zu Land Iona kirche in America Osterstrad. 1702.*
- viii. Joh. Mich. Langii *disf. de Alcorani versione, tribus variis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, im presijs et hactenus anecdotis.* Resp. Joh. Cons. Lob, Jena. Altdorfi 1704.
- ix. *Quod. disf. de specimenibus, conatibus variis atq; novissimis successibus Doctorum quorundam Virorum in edendo Alcorano Arabico.* Resp. Georg. Mich. Schnitlein. Altdorfi 1704.
- x. *Ejusd. de Alcorani prima inter Europeos editione Arabica, ante seculum, et quod excurrit, in Italia per Paganinum Brixiansem facta, sed jussu Pontificis Romani peritus abolita.* Resp. Mich. Cons. Ludwig. Altdorfi 1703.
- xi. Math. Frid. Beckii *specimen Arabicum, s. e. bria capitula Alcorani, xxx. de Roma, et xl. viii. de victoria, è IV. codicibus MSS. Arabice descripta, Latine versa et notis locupletata.* Aug. Vindel. 1688.
- xii. Joh. And. Schmitt *historia Coelicolarum, ad tit. C. de Judaeis et Coelicol.* Resp. Joh. Christian. Busmann. Helmstad. 1704.
- xiii. Frid. Wl. Calixti *disf. de Religione judaica et Judaeorum conversione.* Resp. Valent. Herr. Voglerò. Ibid. 1686.
- xiv. Christoph. Sonntagii *disf. de Synagoga cum honore sepulta.* Resp. Joh. Gottlob Casp̄ov. Altdor, fi 1702.
- xv. Dav. Clodii *disf. ex Hes. III. 4. s. an speranda sit, signis quaedam Judaeorum conversio?* Respond. Eberh. Ha, mel. Giesæ 1683.

XVI. Ad. Tribecchovii historia Naturalismi, à prima sua origine ad nostra usq; tempora. studio Joh. Tribecchovii filii. Senæ 1700.

XVII. Joh. Diecmanni disj. inaug. de Naturalismo tum aliorum, tum maximè Badini, ex opere ejus MS. anecdoto de abditis rerum sublimium arcanis. Senæ 1700.

XVIII. Joh. Pet. Grünbergis disj. de Atheorum religione Prudentum. Resp. Joh. Henr. Vjunantj. Rostoch. 1701.

XIX. Henr. Rixneri disj. de questione, an Aristoteles cognoverit creationem? Resp. Joh. Conr. Schneider. Helms. 1688.

XX. Joh. Nic. Hartsmiit disj. de Theologia Ciceronis, in quantum constat ex libris ejus de Divinat. et de natura Deorum. Resp. Joh. Dan. Groß. Argentor. 1696.

XXI. Joh. Andr. Schmidt's Theologia Hippocrati naturalis. Resp. Joh. Henr. Schmidt. Senæ 1691.

XXII. Ejusd. Seneca ejusq; Theologia. Resp. Mich. Frid. Lense. Ibid. 1686.

XXIII. Joh. Nic. Hartsmiit's Seneca notitia Dei naturalis. Resp. Joh. Georg. Resch. Argentor. 1696.

XXIV. Gerh. Titii disj. de insufficientia religionis mere naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem, et necessitate revelationum Divinarum supernaturalium. Opposita libro Bar. Herbert de religione gentilium. Resp. Bernh. Hageman. Helms. 1667.

XXV. Joh. Bartholdi Nimeieri disj. de Gentilium statu et conditione post hanc vitam. Resp. Ern. Henr. Tübbsen. Helms. 1694.

XXVI. Ejusd. disj. posterior de eodem argumento. Resp.

Eodem. Ibid. eod.

XXVII. Joh. Fechtii disj. de statu infantium à Gentilibus progenitorum, cum in infantia decedunt. Resp. Jac. Henr. Zerneke. Rostoch. 1697.

XXVIII. Henr. Wideburgii fundamentum Theologie Fanaticæ de tribus partibus hominis, corpore, anima et spiritu. Resp. pro lic. Christoph. Tob. Wideburgio. Helms. 1695.

*Wijbe
Nº 1706.*

DISPUTATIO THEOLOGICA
PRIOR
DE
GENTILIUM STATU
ATQVE CONDITIONE POST
HANC VITAM,

QUAM
D. O. M. A.

Consensu Venerandi Ordinis Theologici
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA
P R Æ S I D E

JOHANNES BARTHOLDO
NIEMEIERO

Phil. & SS. Theologiae Doctore, Primae Philosophiae
nec non Logices Professore Publico &
Ordinariô,

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. XVI. Maji ANNI MDCCCXCIV.

Publico Eruditorum examini exponet

ERNESTUS HENRICUS *Subbesing*/
Wolffenbüttelanus.

AUCTOR & RESPONDENS.



HELMESTADII,

Typis SALOMONIS SCHNORRII.

PER-ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS
D O M I N I S

DN. BUSSONI à Münchhausen /
Ser^{mor.} Ducum Brunsvicensium ac Lüneburg.
Consiliario Statús primario, Magno Praefecto,
ac Consistorii Ecclesiastici Dire-

ctori,
Domino in Apeler / Nienfeld / &c.

DN. PHILIPPO LUDOVICO

Grobst à Wendhausen /

Sermorum Ducum Brunsvicensium ac Lüneburgensium
Consiliario Statús ac Cancellario,

Domino in Wendhausen / Schöningen /
Riddageshausen &c.

NEC NON

NOBILISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

DN. ERNESTO MAURITIO

Landwehr /

ICto, Sermorum Ducum Brunsvic. ac Lüneb.
Consiliario Aulico & Ecclesiastico,

Dominis ac Patronis suis magnis æter.
numq; suspiciendis

*Has studiorum suorum Theologicorum primitias
devotissimâ & observantissimâ mente*

D. D. D.

ERNESTUS HENRICUS Tübbesing /
Wolffenbüttelanus,



Σὺν τῷ Θεῷ.

DE

GENTILIUM STATU ATQ; CONDITIONE
POST HANC VITAM

DISPUTATIO THEOLOGICA PRIOR.

§. I.

Quemadmodum DEUS O. M. hominem, creaturam in visibili hoc mundo præstantissimam, non tam ad hanc temporalem & naturalem, quam ad supernaturalem, æternam, maximèq; beatam vitam condidit, Sap. II. 23. ita nec media eidem deesse voluit, per quæ in supernaturalis hujus finis possessionem daretur eniti. Medium verò ab initio propemodum unicum erat; exacta nimirum observatio legis, cujus summa ex Deuter. VI. v. 5. exhibetur Luc. x. v. 28. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua, & proximum tuum ut te ipsum.* Hæc ipsa lex erat *mandatum ad vitam* Rom. VII. v. 10. ac homo secundum eam *faciendo vitam æternam erat possessurus.* Luc. X. v. 25. 28. *Qui præstiterit illa, quæ justitia ex lege requirit, vivet per illa.* Rom. X. v. 5. Levit. XIX. v. 5. Legi huic morali singulari Conditoris voluntate acceperat præceptum positivum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, ut perpetuum quasi perfectæ obedientiæ Deo debitæ extaret documentum, nec quotidiana ejusdem commonefactio deesset. Cui addita fuit hæc comminatio: *In qua die comederis ex ea arbore, morte morieris.* Genes. II. v. 17. *Quæ comminatio quicquid mortis est usq; ad novissimam, qua secunda dicitur, & quæ nulla est posterior, complexa est;* inquit Augustinus libr. XIII. de C. D. cap. XII. Neque verò pertinuit hæc comminatio unicè ad legis illius positivæ violationem, sed & ad universæ legis moralis transgressionem ea est extendenda; quandoquidem non potest contra legem Dei positivam peccari, quin simul

A 2

(media-

(mediatè saltem) contra legem naturæ & moralem peccetur.

II. Neq; verò homini solummodò hæc legem exactè implendi necessitas incumbabat, sed & vires supernaturales legi ex assè servandæ prorsus pares à Domino legis ipsi erant indultæ. Erat enim homo conditus *ad imaginem & similitudinem Dei*. e. ad imaginem Deo similem, Genes. I. v. 26. 27. *ad imaginem propria similitudinis Dei*, Sap. II. 23. *secundum Deum, secundum imaginem ejus, qui condidit ipsum, erat conditus in agnitione ad justitiam & sanctimoniam veram*. Ephes. IV. 24. Coloff. III. 16. Sicuti & Petrus II. Epist. I. 3. 4. dicit, renatos effici rursus *divina consortes natura*, quando per dona ad vitam & pietatem collata elapsi sint è corruptione, qua est in mundo per cupiditatem.

III. Istis autem viribus sicuti homo se ipsum sponte suâ exiit, manum ad captandum fructum lege vetitum extendens, atq; ita inordinatis cupiditatibus, à quibus vacuus manere debebat, omnia indulgens; ita ex eo *lex impotens est facta ad nos servandos infirmata in carne*, Rom. II. 3. *neq; ex eo ex operibus legis justificatur ulla caro*, Rom. III. 20. *quin potius per unum hominem peccatum introiit in mundum, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors* (τέλει & καὶ ὁ ψῶνα τῆς ἀμαρτίας, Rom. VI. 21. 23.) *transiit, in quo omnes peccaverunt*. ---- *Per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem*. ---- *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. ---- *& peccatum regnare incepit in mortem*, Rom. V. 12. 18. 19. 21.

IV. Quod si ergò Deus justitiæ suæ rigorem sequi voluisset, utiq; hominem æterno damnationis exitio æquè potuisset involvere, quàm Angelis peccantibus & domicilium suum non servat à origine suâ relinquentibus non pepercit, quippe quos in tartarum detrusos carenis caliginis tradidit, *judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservatos*. II. Petr. II. 4. Jud. v. 6. Nihilominus Deus, qui dives est in misericordia propter multam charitatem, quâ dilexit nos, cum in peccatis essemus mortui, Ephes. II. 4. 5. ne hominibus de æterna salute, cujus promissionem cum sui origine acceperant, esset desperandum, adinvenit admirandum justitiæ & misericordiæ temperamentum, ut *Filius ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακὴρ ἀμοιβῆς τῆς θεοῦ*, splendor gloria & character persona Patris Hebr. I. 3. non quidem Angelos assumeret, sed semen Abrahæ, fieretq; per omnia fratribus

tribus similis, ut esset misericors & fidelis Pontifex in iis, qua apud Deum agenda forent ad expiandum peccata populi. Hebr. II. 16. 17. legi fieret obnoxii, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, & illi adoptionem reciperent, Gal. IV. 5. imò ut unus pro omnibus moreretur, II. Cor. V. 14. isq; in mortem traderetur propter offensas nostras, & propter justificationem nostram in spem certam salutis nostræ excitaretur, Rom. IV. 25.

V. Tantum beneficium intra divinorum decretorum ordinem non debuit manere conclusum, sed in tempore illud ipsum actu offerri, imò & annunciari omnibus oportuit, ut spes superesset gratiâ hâc divinâ instar gratissimi rosis sub arœnissimum auroræ tempus cadentis irrigari cupientibus. Cujus quidem rei felix factum fuit initium per *πρωτευαγγελίου* Genes. III. 15. descripti annunciationem, quæ tamen tempore salutis actu ipsò acquirendæ magis magisq; appropinquante ad distinctiorem cognitionem uberius per *Scripturas Propheticas* fuit declarata atq; ab hominibus distinctius percepta. Quò ipsò ergò nacti sumus *unum mediatorum Dei & hominum, hominem Jesum Christum* I. Tim. II. 5. gratulari nobis possumus, quòd rigida Legis observatio & impletio à nobis fuerit amota, Christo autem mediatori imposita, ita ut simul in eum *omnium nostrum peccata luenda fuerint coniecta*, Esa. LIII. 6. Tantum hoc unum ex eo Deus à nobis est stipulatus, ut in Filium credamus, perq; hanc fidem justitiam Redemptoris ad nos quasi trahamus, & merita Ejus nobis applicemus. Quæ enim scripta sunt, idè scripta sunt, ut credamus, *Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeamus per nomen ejus*. Joh. XX. 31. Ita enim credentibus Deus fidem imputat ad justitiam, Rom. IV. 23. & paratus est finem fidei, salutem animarum, porrò ex immensa bonitate donare I. Petr. I. 9. quippe quæ est illa promissio, quam ipse pollicitus est nobis, *vita aeterna*. I. Joh. II. 25.

VI. Fides tamen illa, quæ ad justitiam imputatur, non mortua esse debet, sed viva & per charitatem ac reliqua infucatae pietatis opera efficax, Jac. II. 26. sive ut Prosper in A.C. Art. XX. sub nomine Ambrosii adductus loquitur, *bona voluntatis & justæ actionis genitrix*. Dum enim homines per fidem regenerantur, in Christo creantur ad bona opera, ut in illis ambulent Ephes. II. 10. quibus etiam ita student, ut qui rōrint, sine sanctimonia neminem Deum

esse visurum, Hebr. XII. 14. arboremq; , qua non fert bonum fructum, excisum & in ignem coniectum iri. Matth. VII. 16.

VII. Ceterum illud secundum voluntatem Dei incedendi inq; semitis ejusdem ambulandi studium multas ob causas homini valdè redditur difficile. Ut enim neq; de Diaboli insidiis, neq; de pravorum hominum malitia dicamus quicquam, in renatis, caro semper concupiscit adversus spiritum, ut non quacumq; voluerimus, eadem faciamus. Gal. V. 17. Rom. VII. 15. Deus tamen, qui dives est in misericordia, huic quoq; filiorum fuorum infirmitati quasi condescendens contentus est, si renati, quamvis habeant peccatum, I. Joh. I. 8. saltem tamen non faciant peccatum, Cap. III. 8. h. e. γυνῆ καὶ ἀλλῆ ac datâ operâ contra conscientiam non peccent, Numer. XV. 30. atq; sic non sinant peccatum regnare in mortali suo corpore, ut obsequantur peccato in cupiditatibus suis. Rom. VI. 12. Quæ sane ἐπιπέσεια divina facit, ut renatis & Spiritu Dei præditis mandata Dei gravia non sint, I. Joh. V. 3. nec ullum sit κατὰ σάρκα in iis, qui per fidem sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum incedunt. Rom. IIX. 1. fructus Spiritus Gal. V. 22. descriptos ubiq; ferentes & de se ostendentes.

IIX. Scilicet rectè Bernhardus Serm. XXIII, dicit: Omne quod ipse (Deus) mihi non imputare decreverit, sic est, quasi non fuerit. Peccata enim infirmitatis & quotidianæ incurfionis non tam ex malitia, quam ex inadvertentiâ contra voluntatem ab his Dei filiiis admissa Deus justitiæ Christi involvit eademq; tegit, nec eos ex gratiæ statu, quamvis jure possit, propter eadem vult exturbare. Quamvis verò hæc gratia iis, qui sunt in Christo Jesu, obtingat, non tamen propterea hoc privilegium ad infideles quoq; est extendendum. Hos enim, quia non sunt ex Deo nati, neq; hanc dignitatem actu sunt consecuti, ut filii Dei fierent, cum non credant in nomen ejus, Joh. I. 12. 13. rigida legis observatio ita premit, ut quodcumq; modò eidem contravenientes horribili suâ maledictione involvat ac penitus opprimat.

IX. Quò igitur in statu sint, qui extra Christum Jesum sunt, ejusmodi non solum sunt Gentiles, sed & Muhammedani ac hodierni Christam mundi Redemptorem ignorantes Judæi, aliq; fidem abnegantes, facilè apparet. Scilicet sicuti salutari cognitione destituuntur, nec media salutis æternæ consequendæ proposita

posita amplectuntur, multò minùs beneficia per Filium Dei humano generi oblata sibi applicare possunt, ita quoq; nec ipsis contingit eâ gaudere *ἐπιμελεια*, quam Deus filios suos patitur experiri, unde aded cum non inveniunt, quâ ratione legem exactè & secundum rigorem suum adimplere, vel propter violationem ejusdem irato Numini satisfacere queant, jus æternam beatitudinem adeundi sibi præclusum esse deprehendent.

X. Non erimus hâc vice de iis solliciti, qui verbis quidem Christianam fidem profitentur, eam tamen vel adulterant, vel vim ejus operibus suis abnegant: *qui enim opera carnis agunt, (quæ inter etiam ἀσέβεις reputantur,) regni Dei non sunt futuri heredes.* Gal. V. 19. 20. 21. nec de hodiernis Judæis seorsim disquisitionem instituemus: quamvis enim hi omninò probent, quæ à Mose & Prophetis, nec non in Psalms sunt scripta, eum tamen huc usq; præfractè abnegant, *cui omnes Propheta testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui credit in eum, Actor. X. 43. atq; aded Evangelio non auscultant, II. Thef. I. 8.* Neq; etiam nos occupabit cura Muhammedanorum in eo à Judæis secessum facientium, quòd libris Scripturæ Veteris Testamenti adhuc superaddant libros Novi Testamenti: quòd enim locò illi habendi sint, ex eo facilè patebit, quòd Christum *verum Deum & in secula benedictum* 1. Joh. V. 20. Rom. IX. 5. non agnoscant; Sed quamvis de his æquè atq; hodiernis Judæis facilè ostendi possit, quòd salutis æternæ spes ipsis sit præcisa, hâc vice tamen tantùm de Gentilibus, qui nulli Scripturæ Sacræ libro divinam autoritatem tribuunt, neq; vocationi per verbum hoc divinum sibi oblata sunt obsecuti, imò eidem ne hodiernum quidem cedunt, dispiciemus, an vel promiscuè omnibus illis, an verò saltem cultioribus & moratoribus spes aliqua salutem æternam consequendi sit relicta, an verò eâdem prorsus excidisse sint judicandi?

XI. Quæstio hæc de gentilibus eâ ratione spectatis, quâ sunt gentiles, intellecta facillimâ ratione decidi poterit ab eo, qui verba Apostoli 1. Thef. IV. 13. expenderit, ubi dicitur, *τοὺς λοιπὸν* (qui *τοῖς ἀδικεῖσι τῆς θεοῦ* Ephes. II. 19. opponuntur,) i. e. gentiles non habere spem resurrectionis ad vitam æternam, Ephes. II. 12. Ex quibus patet, Deum unâ cum Christo Jesu eos non esse adducturum, ut vitæ ac beatitudinis æternæ actu ipsò in beneficium per modum fructûs

fructus meriti Christi participes reddantur, sed quamvis futurum sit, ut & illi ex mortuis in vitam sint revocandi, eorum tamen resurrectionem futuram esse in iudicium h. e. damnationem, supplicium, opprobrium ac contemptum sempiternum. Joh. V. 24. Matth. XXV. 26. Dan. XII. 2.

XII. Quæ itaq; post hanc vitam expectanda est vita in æterna beatitudine in conspectu Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, in Sanctorum conversatione cum ineffabili gaudio sine fine transigenda, quâ Domino *futuri sunt similes*, qui sunt sui, *coronâ incorruptâ fulsuri, hereditatemq; adepturi, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere*, 1. Joh. III. 2. 1. Cor. IX. 25. 1. Petr. I. 4. juxta Apostoli effatum gentiles in infidelitate sua perseverantes, nec salutis media amplectentes haudquaquam potest manere: sed audienda ipsis aliquando erit supremi iudicis justitiæ quidem ipsius convenientissima, attamen reis omnibus tristissima vox: *Nunquam novi vos: discedite à me, qui facitis iniquitatem, atq; abite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Matth. VII. 23. Luc. XIII. 27. Psalm. VI. 9. Matth. XXV. 41.

XIII. Ut enim de eo non dicamus, quòd quamvis apud hujusmodi hominum nonnullos de aliquali beatitudine post hanc vitam futura balbutiente voce quædam prolata occurrant, ipsi tamen solius rationis sibi relicte ductum secuti vix possint assequi, quisnam corporis atq; animæ post mortem status sit futurus, certè æquè minùs nõrunt, quænam sint media sublimi huic & supernaturali fini consequendo proportionata, quàm ex natura vires mediis hujusmodi rectè utendi sperare possunt. Media autem salutem æternam consequendi sunt gratia Dei, meritum Christi *Ἰανθρώπου*, & ex parte hominum fides; quæ iterum tria complectitur: 1. notitiam rerum ad salutem cognitu necessariarum. 2. assensum iis præbendum, præsertim quòd Christus Deo Patri pro omnium hominum peccatis satisfecerit, ac pretium redemptionis pro omnibus persolverit, quòdq; Deus omnes, qui Christum pro se passum atq; mortuum, adeoq; suum redemptorem esse credunt, in gratiam recipere atq; peccata iisdem remittere velit. Qui tamen assensus non tantum generalis, sed vel maxime specialis esse debet, secundum quem bona ista oblata quisq; ad se in individuo trahit, sibiq; specialiter exemplò Pauli Gal,

Gal. II. 20. 1. Tim. I. 16. applicat - Ex quo speciali assensu deinceps 3. in corde nascitur fiducia, quæ assensum illum specialem debet comitari. Jac. I. 5. 6. Quæ ipsa fiducia si notitiæ atq; assensui superveniat, homo *per fidem Deo placet, atq; ad eum accedit.* Hebr. XI. 6. Rom. V. 1. 2. eaq; fides *ad justitiam imputatur.* Rom. IV. 3. 22. Gal. III. 6. *justusq; ex sua fide vivit.* Habac. II. 4. Gal. III. 11. vivit nimirum vitam æternam atq; beatam, idq; quamdiu in his terris degit, nec gratiæ statum deserit, *in spe,* Rom. IIX. 24. post mortuorum verò resurrectionem *in re.* Corde creditur *ad justitiam,* Rom. X. 10. imò filii Dei sumus *per fidem in Christo Jesu,* Gal. III. 26. *Quisquis enim credit, Jesum esse Christum illum, ex Deo genitus est,* I. Joh. V. 1. & quotquot *Filium Dei acceperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut filii Dei fierent, nempe iis, qui credunt in nomen ejus, qui non ex sanguine, neq; ex libidine carnis, neq; ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.* Joh. I. 12. 13. & Spiritus adoptionis testatur *unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Quòd si filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. IIX. 15. 16. 17. Est autem nostra *hæreditas salutis æternæ,* Hebr. I. 14. IX. 15. *hæreditas benedictionis, qua nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, in cælis nobis servata.* I. Petr. I. 4. III. 9.

XIV. Quicumq; igitur jus istiusmodi *viotestas* per veram fidem sibi non acquirunt, de eo gloriari non possunt, quòd sint redempti, sed, ceu jam tum diximus, legi legisq; comminationi atq; maledictioni manent obnoxii, Gal. III. 10. atq; sic non possunt salutis æternæ tanquam promissæ hæreditatis spem concipere, sed necessum est, eosdem secundum legis ac justitiæ divinæ rigorem æternæ damnationis reatum, imò damnationem ipsam actu incurrere. Neq; enim post hanc vitam alius est status, quin sit vel salutis, vel damnationis æternæ.

XV. Hac autem de re Scriptura Sacra clarè & luculenter passim loquitur. Quemadmodum enim eadem credentibus salutem æternam denunciat, ita incredulis sive infidelibus æternam damnationem minatur. Manifestus est locus Rom. III. 22. 23. 24. 25. 26. ubi sic ait Apostolus: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt: non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & destituuntur gloriâ Dei. Justificantur autem gratis, ejus gratiâ per redemptionem factam in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatori-*

B

um

nm(ἰλασθησίου) per fidem in sanguine ipsius, ad declarandam justitiam suam, per remissionem precedentium peccatorum: Ex Dei tolerantia, ad declarandam justitiam suam presenti tempore: ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu. Ex quibus verbis patet 1. quidnam rigor justitiæ divinæ requirat? nempe satisfactionem pro peccatis, quibus Deus læsus erat. Cum autem eandem præstare homini æquè esset ἐκ τῶν ἀδυνάτων, quàm legem perfectè implere, ac per consequens damnationis reatus omnibus, Judæis æquè ac gentibus, incumberet, cum ex operibus legis nulla caro justificetur in conspectu Dei, v. 20. hinc 2. ei succurrit χάρις τοῦ Θεοῦ, non solum in eo consistens, quòd Deus genus humanum non prorsus, ut Angelos peccantes, abjicere, sed & in hoc, quòd alienam satisfactionem locò nostræ accipere, eòq; ipsò simul justitiam suam declarare voluerit, ut ipse sit justus, 25. 26. adeoq; 3. justos nos reddere per redemptionem factam in Christo Jesu, quem proposuit Deus ἰλασθησίου, v. 24. 25. ita, ut quemadmodum coram operculo arcae fœderis summus Pontifex sanctum sanctorum ingressus sanguinem in expiationem peccatorum spargebat, Levit. XVI. 25. sic per hunc mediatorem inter Deum & homines fieret expiatio peccatorum in sanguine ejus. Quæ tamen expiatio licet omnibus sit oblata, non enim est distinctio, v. 22. nemini tamen eà salutaris evadit, nisi 4. per fidem in sanguine ejus. Eum enim demum Deus justificat, qui est ex fide Jesu. v. 26. Et fide justificatur homo absq; operibus legis, v. 28. unusq; Deus est, qui & circumcisionem h. e. Judæos justificabit ex fide, & præputium, h. e. gentes per fidem. v. 30. Sicuti itaq; qui veram fidem habent, eàq; Servatoris mundi merita sibi applicant, justificantur, Ipemq; salutis æternæ consequuntur, sive, ut Apostolus v. 22. loquitur, justitia Dei per fidem in omnes, & super omnes, qui credunt, venit, ita ab hac spe longissimè remotos esse oportet, qui hâc fide destituuntur, nec τὸν τῆς πίστεως νόμον v. 27. adimplent.

XVI. Idem Apostolus Rom. X. 4. clarè scribit: Finis (τέλος) legis est Christus, ad justitiam cuius credenti. Cum enim secundum pactum legale nemo ad vitam æternam possit admitti, nisi integram dilectionem Dei & proximi, atq; adeò perfectam legis obedientiam tanquam τέλος attulerit, Christus impletio & consummatio legis factus ac τέλος exsolvens ἀτελείς nos fecit, ac vi pacti

vi pacti Evangelici jus consequendæ justitiæ ac salutis æternæ obtulit, sed non nisi *credenti*; ut adeò justitia & salus non obtin- gat cuiquam per legem, sed potius per Christum & fidem in e- undem. Pergit Apostolus v. 6. lqq. docere, fidem, quâ homo justificatur & salvatur, non consistere cum dubitatione, sed cer- titudinem requirere. Si enim secundum *verbum fidei*, (cui fides haberi debet,) quod *prope te est in ore tuo & in corde tuo, quodq; præ- dicamus, sincerè confessus fueris ore tuò Dominum Jesum, & corde cre- dideris, quòd Deus eum* propter te in mortem datum propter justi- tiam ac salutem tuam *ex mortuis suscitavit, servaberis. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio* fidem excipiens ad salutem. *Dicit enim Scriptura (Esa. XXII. 16.) Quisquis credit in eum* (Christum,) *non pudefiet, וְיִי אֵלֹהִים non festinabit, nec dicta aut facta sua festinando labetur, atq; ita pudefiet. Est itaq; à parte hominum unicus salutis. obtinendæ modus, fides nempe in Christum, quem modum amplecti oportet omnes, sive Judæi sint, sive Græci, (non enim est distinctio, neq; unius præ altero prærogativa,) quotquot sine hõc ultimò cupiunt potiri. l. c. v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.*

XVII. Hoc ipsum quoq; Petrus cum Johanne confirmat, & Sacerdotibus ac populi Judaici Senioribus inculcat Act. IV. 12. inquit: *Non est in alio quòquam salus; nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari, nisi per nomen Jesu, h. e. per ipsum Jesum. Nomen enim hîc ponitur pro re ipsa, uti alibi fit in Scriptura. Vid. Rom. X. 13. 1. Cor. I. 2. Act. I. 15. Psalm. V. 12. Quòd si itaq; salus æterna est ab ipso Do- mino nostro Jesu Christo, ea est ab eodem vel ratione oblatio- nis & acquisitionis, vel est ab eodem ratione applicationis per fidem. Quamvis verò utrumq; sit admittendum, prius tamen non sufficit, quandoquidem aliàs omnes homines salutis æter- næ redderentur participes, neq; quisquam damnaretur, sed ne- cessum est, ut alterum quoq; accedat, atq; ab unoquoq; salutis æternæ futuro hærede credatur, hoc *nomen* sive Christum esse *sum*, sibi esse datum, inq; eo se salutem esse habiturum. Siqui- dem aliàs Petrus de consecutione salutis per Christum agens fidem disertè adjungit, Act. X. 43. inquit: *Huic Jesu omnes Pro- pheta testimonium dant, remissionem peccatorum atq; ita spem salutis æternæ**

æternæ accepturum per nomen ejus unumquemq; qui crediderit in eum.

XIIX. Quânam ratione porrò causas justificationis & salutis: gratiam Dei, meritum Christi, & fidem; Divus Petrus conjungat, ex Actor. XV. v. 7. 8. 9. II. apparet. Initiò ait, gentes audivisse Evangelium & credidisse; deinde addit, gentium corda fide esse purgata, h. e. gentes per fidem remissionem peccatorum impetrasse; tandem subjicit: *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos, Patres nostros.* Sic iterum meritum Christi cum fide conjungit, atq; hunc modum non novum esse docet, cum non aliter homines in Veteri Testamento fuerint salvati, quàm nunc salvantur. Id quod contra Pelaginos passim strenuè urget Augustinus docens, omnes homines quòcunq; ullò seculò salvi facti sunt, non nisi gratiâ Dei per Jesum Christum & fidem in eunden. salutem esse consecutos. *Tempora quidem variata esse, ait, sed non fidem.* Vid. Forbels. Instruct. Hist. Theol. libr. IIX. cap. II. §. 12.

XIX. Neq; aliud quicquam reliqui Apostoli ac discipuli Domini docuerunt. Etenim Paulus ac Barnabas Antiochenos ita instruunt: *Notum sit vobis, fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per istum (Christum,) & ab omnibus, quibus per legem Moysis non potuistis justificari. In hoc omnis, qui credit, justificatur, gratiam & vitam æternam consequitur.* Act. XIII. 38. 39. Pari ratione Paulus ac Silas *θεομύφυλαξι* Philippenſi sciscitanti: *quid me oportet facere ut server?* nihil aliud respondent, quàm hoc: *Crede in Dominum Jesum, & servaberis tu ac domus tua.* Et cum locuti essent ei sermonem Domini & omnibus, qui erant in domo ipsius, exultavit, quòd cum universa domo sua credidisset Deo. Actor. XVI. 30. 31. 32. 34.

XX. Quin imò ipse Servator Joh. VI. 40. disertè inquit: *Hac est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Rursus v. 47. 48. 50. 51. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis ille vita.* — *Hic est panis ille, qui è cælo descendit, ut qui è cælo vescitur, non moriatur.* Ego sum panis vivificus, qui è cælo descendi: *si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Antea v. 29. dixerat: *Hoc est opus Dei, ut credatis in illum, quem misit ille, Deus Pater.* Pari modò Joh. XI. 25. 26. dixit Jesus: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & quisquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Nec non S. Johan-

Johannes rationem redditurus, propter quam & historiam, & dicta atq; facta sanctissimi Servatoris in literas redegerit, ita inquit: *Hac scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Joh. XX. 31.

XXI. Firmissima hujus doctrinae certitudo pendet quoq; ex verbis Servatoris Joh. XVII. v. 3. Cum enim dixisset, se *omni carni* h. e. homini *dedisse*, obtulisse, acquisivisse *vitam aeternam*, sicuti acceperat *a Patre potestatem omnis carnis*, hoc est, salvandi omnes homines, etiam modum, secundum quem homines oblatae ac sibi acquisitae salutis queant fieri participes, statim subjungit, inquit: *Hac est vita aeterna, ut te solum cognoscant Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Particula *ita* h. l. *videtur* accepta (quam significationem post alios notavit quoq; Glassius Philol. Sacr. libr. III. Tract. III.) modum ac rationem ad vitam aeternam perveniendi respicit. Ea autem est cognitio fiducialis Patris, & qui ab eo ad redimendum genus humanum missus est, Filij: *Cognitione enim sui justificabit justus servus meus multos*, Esa. LIII. II. ita tamen, ut cognitionem istam excipiat assensus & fiducia voluntatis, tanquam cognitionis istius effectus. Hanc itaq; viam, quae unica est, qui non sequitur, ad vitam aeternam duci non potest. Quemadmodum & cap. praeced. XIV. v. 6. dixerat Servator: *Ego sum via illa, veritas illa, & vita illa: Nemo venit ad Patrem, nisi per me* h. e. nisi me verum mediatorem amplectatur & in me confidat. Eleganter Hilarius libr. VII. de Trinit. *Non nos in erratica & in via deducit ille, qui via est; neq; illudat per falsa, qui veritas est; neq; in mortis relinquit errore, qui vita est.* Alias quam ratione fidem in se, tanquam in unicum mediatorem, Servator requirat, ex cap. cit. v. I. IO. II. 12. satis apparet.

XXII. Ex his itaq; & similibus Scripturae dictis non immerito colligitur, salutis aeternae consecutionem a fide in Christum esse suspensam; ex quo ultrò fluit, omnibus & singulis, qui viam hanc per Christum commonstratam non ingrediuntur, neq; ejus merita verâ ac firmâ fide amplectuntur, spem aeternam salutem consequendi esse praecipuam. Sicuti & Hebr. XI. v. 6. aperte dicitur: *Fieri non potest, ut sine fide quisquam Deo placeat*; complacentiâ nimirum speciali & gratiosa; idq; exemplis quibusdam confirmatur. Et quid apertius dici poterat, quam quod Servator Marc.

XVI. 16. est professus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur qui verò non crediderit, condemnabitur.*

XXIII. Joh. III. v. 14. 15. Servator typum serpentis aenei à Mo-
se exaltati ad se transfert. Quemadmodum enim qui à serpenti-
bus ignitis erant læsi, valetudinem recuperabant & vitam con-
servabant, modò serpentem aeneum in sublime erectum intue-
rentur; id verò qui negligebant, à serpentibus perierunt, Num.
XXI. 6. 7. 8. 9. 1. Cor. X. 9. ita vita æterna eos manet, qui Chri-
stum verà fide respiciunt; quod ipsum qui insuper habent, æter-
næ mortis ac damnationis reatui involvuntur. *Prout Moses extulit
serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis: ut quisquis cre-
dit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Subjicitur statim: *Ita
enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quis-
quis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: non enim mi-
sit Deus Filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut ser-
vetur mundus per eum; qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non
credit, jam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti Filii
Dei.* Vox Mundi designat omnes homines, utpote ad quos omnes
dilectio Dei sese extendit. Horum alij sunt credentes, alij in-
creduli; hi dicuntur condemnari & perire, illi autem non con-
demnari, sed salvari & vitam æternam habere. Sicuti autem
pars mundi, quæ in peccato & incredulitate hæret, ab eo, qui
piis & credentibus est *παράκλησις*, arguetur propter peccatum, quod
non credat in Christum, Joh. XVI. 9. & propter hanc increduli-
tatem exitium & damnatio ipsi imminet, ita ista pars mun-
di, quæ verà fide Filium Dei ex amoris adundantia in hunc mun-
dum missum amplectitur, condemnationem effugit, ac per hunc
mundi redemptorem nec non fidem in eundem salutem con-
sequitur.

XXIV. Neq; alia sive comparatio, sive oppositio Joh. XII. 36,
46. 47. 48. instituitur. Etenim *credentes in veram lucem* h. e. Chri-
stum, sive *filiis lucis* opponuntur iis, qui *in tenebris manent*. De illis
dicitur, quòd Christum, & verbum ejus, mandatum illud vitæ,
recipientes salutis æternæ mundo oblatae fiant participes, de his
autem idèd, quòd Christum rejiciant, dicitur, quòd conde-
mmentur. Cujus tamen damnationis culpa non in Christum
est referenda, sed penes ipsos hæret homines, eò quod non cre-
dentes

dentem condemnationem & exitium æternum sibi contrahant. Verba Servatoris sunt ista: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* — *Ego lux in mundum veni, ut nullus, qui credit in me, in tenebris maneat. Et si quis audierit verba mea, ego non condemno eum. Non enim veni, ut condemnem mundum, sed ut servem mundum. Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet, qui condemnet ipsum: sermo quem locutus sum, ille judicabit (condemnabit) eum in ultimo die.*

XXV. His ipsis addimus verba Johannis Baptistæ Joh. III. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Sicuti igitur Filij Dei redduntur, & statui iræ eximuntur, quotquot in Christi nomen credunt, Joh. I. 12. ita qui fidem hanc non suscipiunt, manent in statu iræ divinæ, quam in se adaugent ad condemnationem. Ad eundem modum S. Johannes Apostolus I. Epist. V. II. 12. 13. *Vitam æternam nobis dedit Deus: & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, h. e. credit in eum, habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filij Dei: ut sciatis, vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filij Dei.* Vita itaq; æterna per Filium Dei nobis est oblata: per hoc enim patefacta est charitas Dei in nobis, quòd Filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. I. Joh. IV. 9. non tamen obtinetur ea, nisi per fidem in Christum: per hanc enim demùm habetur Filius, atq; ita in Filio & propter Filium fide apprehensum salus æterna nobis obtingit.

XXVI. Quæ cum ita sint, cum S. Cypriano libr. de Unit. Eccles. ad nostrum institutum applicamus verba Servatoris Matth. XII. 30. Luc. XI. 23. *Qui non est mecum, adversum me est, & qui non cogit mecum, dispergit, dicimusq; non nisi credentes vitam æternam consequi, eos autem, qui verâ fide sunt destituti, nullam salutis æternæ spem concipere posse, sed Scripturam his omnibus damnationem juxta divinam justitiam denunciare. Incrudelis quippe pars assignata in stagno ardente igne & sulphure; quod est mors secunda.* Apoc. XXI. 8. Sicuti verò hæc doctrina in sacris literis, ceu ostendimus, habet fundamentum, ita & Ecclesia eandem semper fecit suam. Id quod prolixè ostendere facile quidem foret, attamen cum soli novam lucem affundere minimè sit opus, sufficiet nobis vox Ecclesiæ Catholicæ in Symbolo Athanasiano expressa:

expressa: Quicumq; vult saluus esse, ante omnia opus est, ut catholicam fidem teneat, quam nisi quis integram inuolatamq; serauerit, absq; dubio in aeternum peribit. ----- Hac est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter crediderit, saluus esse non poterit.

XXVII. Benè proinde S. Augustinus Epist. XXIIIX. ad Hieron. Certus sum, nullam animam liberari posse de corpore mortis huius, vel sua voluntatis virtute, tanquam sibi ad hoc sufficiente, vel ipsius corporis morte, sed gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: nec omninò esse animam ullam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Quaecunq; autem sine gratia Mediatoris & Sacramenti, atq; in qualibet corporis eate de corpore exierit, & in pœnam futuram & in ultimo iudicio recepturam corpus ad pœnam. Idem libr. I. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. XXI. Quantalibet fuisse virtutis antiquos prædices iustos, non eos saluos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Pariter & Prosper Aquitanicus libr. I. de Vocat. gent. Sive Iudæus, sive gentilis, priusquam justificetur per fidem, conclusus est sub peccato, & si in incredulitate perstiterit, ira Dei manet super eum, illa scilicet ira, in Ada prævaricatione contracta, de qua Apostolus: Eramus & nos filij ira.

XXIIIX. Porrò sicuti per fidem Christo, qui est caput Ecclesiæ, adhæremus ejusq; membra constituimur, ita non minùs per ipsam illam fidem in Ecclesiam cooptamur, extra quam salus nulla est speranda. Sicuti enim qui extra Noæ arcam manebant, tempore diluvii vitam suam conservare non poterant, ita qui extra Ecclesiam oberrant, de vita æterna spem concipere nequeunt. Docet hoc eleganter S. Cyprianus l.c. inquit: Ecclesia nos Deo servat, hac filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adultera jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec pervenit ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noa fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet. Monet Dominus, & dicit: qui non est mecum, adversus me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.

XXIX.

XXIX. In censum eorum, qui hactenus extra Ecclesiam sive foris 1. Cor. V. 12. 13. sunt, gentes quoq; ad Christum non conversæ veniunt, ad quas etiam pertinet, quod Apoc. XXII. v. 15. dicitur: *Foris*, extra Hierosolymam, uti cœlestem, ita & terrestrem h. e. Ecclesiam *sunt canes*: siquidem etiam gentiles à Christo *canes* vocantur Matth. VII. 6. Quò pactò & Hieronymus Procœmiò libelli de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus de nonnullis Christiani nominis inimicis gentilibus dicit: *Discant ergò Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes --- ac desinant fidem nostram rustica tantum simplicitatis arguere, suamq; potius imperitiam agnoscant. Quamdiu enim fidem in Christum non amplectuntur, neq; Christo tanquam capiti adhærent, etiam vera & viva Ecclesiæ membra haberi aut cum iis in unum corpus mysticum coalescere non possunt.*

XXX. Hoc itaq; aliunde non est, nisi quòd gentes fide justificante & salvificâ destituantur. Neq; enim cum eorundem idololatria, quâ *veritatem Dei*, quam is in ipsis manifestam fecerat, *in mendacium mutarunt, colentes ac servientes rebus creatis, præteritò creatore, qui est Deus benedictus in secula*, Rom. I. 25. nec cum eorum alienatione mentis à vero Deo, nec cum cœcitate cordis eorum, aut vanitate, in qua oberrant, *incedentes in suis ipsorum viis*, Act. XIV. 16. fides, ex qua venit justitia, consistere potest. Qui itaq; ex gentibus ad verum Deum à terræ extremis accessuri sunt, eos dicere oportet: *Verè Patres nostri alienos Deos colentes mendacium possederunt, vanitatem, & non est in eis utilitas*, Jerem. XVI. 19. *Satis est nobis, quòd anteaetò vita tempore libidinem gentium patra-verimus --- nefariis idolorum cultibus*. 1. Petr. IV. 3. Tales sanè Corinthios ante sui conversionem fuisse Apostolus non dissimulat, inquit: *Scitis, vos gentes fuisse, qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini*. 1. Cor. XII. 2. Inter opera autem carnis fidei & salutis devoratoria, quæ qui agunt, regni Dei hæredes futuri non sunt, *idololatria* quoq; connumeratur Gal. V. 20. 21.

XXXI. Largiamur verò inter gentiles reperiri nonnullos, qui idololatriæ crimine actiones suas non polluant, in eos tamen nihilominus quadrant, quæ de reliquo infidelitatis statu, in quo hærent, Scriptura graviter proponit. Scilicet tribuit ea gentibus *amistiam*, crassam ignorantiam, cœcitate mentis, merasq; tenebras, indeq; natas aberrationes à vera via, mortem deniq; ipsam,

C

ipsam, ex qua ad veram vitam emergendi rationem ipsi invenire queunt nullam. Hinc dicuntur nec Deum nōsse, nec nomen ejus invocare, à Christo esse alieni, atq; ideò vicissim à Deo ignorari, quippe justitiam non habentes, sed potius in mentis suæ vanitate in propriam perniciem incedentes.

XXXII. Pertinent huc inter alia verba Apostoli II. Cor. VI. 14. inquietis: *Ne impari jugò copulemini cum infidelibus: quod enim consortium justitia cum injustitia? & qua communio lucis cum tenebris? & qua concordia Christo cum Belial? aut qua pars fideli cum infideli? & qua consensio Dei cum simulachris?* Quò pacto gentiles, præsertim idololatræ, tanquam infideles opponuntur fidelibus; tanquam in injustia versantes illis, qui justitiam operantur; tanquam in tenebris incertò & ad exitium ducente itinere vagantes iis, qui in luce ambulant & rectâ viâ ad salutem incedunt; tanquam servi Diaboli filii Dei per Christum Dominum nostrum. Esa. IX. 2. gentes ante accensam Evangelii lucem dicuntur esse *populus ambulans in tenebris, habitans in terra umbrae mortis*; quæ descriptio repetitur Matth. IV. 16. Luc. I. 79. Pariter Esa. LX. 2. gentes ad Christum non conversas *tenebrae & caligo operire* dicuntur, iis autem, qui vocationi Evangelij obsequuntur, dicitur *exoriri Jehova, ut gentes ad lumen ipsius, & reges ad splendorem ortus ejus ambulent.* Ephes. IV. 17. 18. 19. gentes dicuntur *versari in vanitate mentis suæ, cogitationem habentes obscuratam, & abalienatam à vita Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis, ex obdurate cordis eorum.* Ephes. V. 8. Gentes ante sui conversionem dicuntur fuisse *tenebrae*, sicuti per verbum Evangelij fidem concipientes factæ fuerunt *lux in Domino*, in qua, ut filios lucis decet, *incedendum est.* Actor. XVII. 30. tempora infidelitatis dicuntur *tempora ignorantia.* Joh. XII. 49, de se testatur Christus: *Ego lux in mundum veni, ut nullus, qui credit in me, in tenebris maneat.* Qui itaq; in Christum non credunt, in tenebris hærent in animæ suæ perniciem, neq; ex illis tenebris alia emergendi ratio est, nisi per fidem in Christum. Ephes. II. 1. 2. 3. gentiles ante fidem in Christum susceptam dicuntur fuisse *mortui in offensis & peccatis*, secuti communem *vitam mundi hujus, facientes quæ carni & cogitationibus libebant; mortui in peccatis & præputio carnis suæ* Coloss. II. 13. Sed Deus, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem, quæ dilexit nos, *etiam cum per offensas mortui essemus, unà nos vivificavit per*
Chri-

Christum, *cujus gratiâ sumus servati, unâq; excitavit, unâq; collocavit in cælis in Christo Jesu, & propter eundem.* Ephes. II. 4. 5. 6. Coloss. II. 13. Imò quod majus esse videtur Ephes. II. 12. gentes ante fidem susceptam dicuntur temporibus illius ignorantia fuisse absq; Christo, alieni à Republica Israël, & extranei à pactis promissionis, *spem non habentes, ηç; ἀθεοί ἐν τῷ κόσμῳ, & Dei expertes in mundo, non quidem ratione omnimodæ ignorantia, sed ob defectum notitiæ ad salutem sufficientis, atq; ob alienationem à legitimo Dei cultu, dum Deum, quem cognoverunt, non glorificârunt.* Rom. I. 21. At verò ex quo *relictis idolis conversa sunt ad Deum, ut servirent Deo vivo & vero,* I. Thessal. I. v. 9. *qui olim erant procul, in Christo Jesu propinqui sunt facti, per sanguinem Christi,* Ephes. II. 13. Hòc sanè pactò *qui non erant populus Dei* Hof. I. 10. II. 23. *quiq; Deum non noverant,* Esa. LV. 5. *nec Deum querebant, nec de nomine ejus vocabantur,* Esa. LXV. 1. *quosq; vicissim Deus non noverat,* II. Sam. XXII. 44. Psalm. LXXIX. 44. *currunt ad Deum, glorificantes eum, serviunt Deo, & Deus eorum est Deus, fiuntq; filii Dei verentis vocati de nomine Dei.* Hòc etiam pactò *qui fuerunt oves errantes, simulac ad pastorem & curatorem (episcopum) animarum nostrarum conversi sunt* I. Petr. II. 23. *ostium fidei ad vitam æternam hætenus clausum sibi aperiri persentiscunt.* Actor. XIV. 27.

XXXIII. Hactenus itaq; constat, gentiles ἀπίστους esse, nec ejusmodi fide præditos, quâ justificati Deo placent & coram Deo vivunt, sed potiùs, quòd sponte suâ se subducant ad exitium, *nec credant eis ἀπειθήσων ψυχῆς ad acquisitionem animæ,* ut Hieronymus reddit, sive ad animæ salutem. Habac. II. 4. Hebr. X. 38. 39. Cujus tamen rei culpa non in Deum vocationis gratiam omnibus offerentem est transferenda, sed potiùs penes gentiles ipsos ea hæret, quippe qui vocationi illi divinæ non obsequentes media, quibus fides accenditur, non amplectuntur. Certè Psalm. XIX. 5. apertè dicitur: כָּל־הָאָרֶץ יֵצֵא קוֹץ in omnem terram exiit ligna (virga metatoria) eorum, qui pacem & Evangelium annunciant, neq; his admensa atq; assignata est tantum angusta terræ portio, quemadmodum Ecclesia Judaica Palestina olim adstricta erat, ac Paulo ad tempus certa pars orbis, in qua Evangelium prædicare deberet, ἡ μέσσην τὴν γῆν fuit assignata, II. Cor. X. 13. sed totus terrarum orbis Apostolis fuit permissus, ut ubiq; Evangelium prædicaretur, & in exte-

num orbis penetrarent eloquia ipsorum, atq; sic gentes venirent in hereditatem Filij, & finis terra in possessionem ipsius, Psalm. II. 7. Quod idem testatur Apostolus verba ex Psalm. XIX. 5. secundum versionem τὸν LXX. repetens: *In omnem terram exiit ὁ φῶς & ἀκρότης sonus eorum,* (Apostolorum) & in fines orbis terrarum verba eorum, ad eò quidem, ut quò non pervenit pes Apostolorum, vox tamen & fama eorum penetrârit; ut Hieronymus inquit. Et ante eum Irenæus libr. 1. adv. Hæres., cap. III. *Quemadmodum sol creatura Dei, in toto mundo unus & idem est, sic etiam prædicatio veritatis ubiq; lucet, & illuminat omnes homines ad cognitionem veritatis venire volentes.* At verò quamvis Dominus omnes congregare voluerit, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, multi tamen noluerunt. Matth. xxiii. 37. quamvis totâ die manus suas expandat ad omnem populum, multi tamen culpâ suâ manent rebelles ac pertinaces, Es. LXV. 2. Rom. x. 21.

XXIV. Quandoquidem igitur gentes gratiâ sibi oblatâ sese indignas reddiderunt, nec media, quibus fides accenditur, alitur, confirmatur, amplectuntur, hinc fit, ut in *amistia* sua hæreant atq; perseverent. Media autem ad fidem accendendam, alendam atq; confirmandam facientia sunt Verbum & Sacramenta. Quamvis verò Sacramenta non sint sine verbo, de iis tamen præsertim autem de Baptismo, non nihil vel verbò est attingendum. Certè quanta sit Baptismi necessitas, Servator latere nos noluit Joh. III. 5. inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire regnum cælorum.* Quibus sanè verbis æterna salus à conditione quadam, quæ est regeneratio, suspenditur. Regenerationis autem terminus est fides. Pendet ea à duabus causis, quarum altera est *Spiritus*, altera *Aqua*. Nam particulam *EE* I. c. causaliter oportet accipere, & quidem de causa efficiente. Coniunguntur autem, duæ causæ, sibi tamen subordinatæ, quarum una est principalis, *Spiritus*: Spiritus Sancti enim donum est fides per charitatem efficacax, per quam *Filios Dei* nos facit Rom. ix. 14. unde est Spiritus regenerationis, sicuti est *Spiritus sanctificationis*, Rom. I. 4. Altera regenerationis causa, eaq; minùs principalis, est *aqua* baptismi: Baptismus enim est *lavacrum* regenerationis & renovationis *Spiritus Sancti*, quò mediante Spiritus Sanctus regenerationem & renovationem vel confert, vel obsignat. Tit. III. 5. & Baptismus ordinatus est *ad ablutionem peccatorum*, donorumq; Spiritus Sancti collationem, Act. II. v. 38. cap. XXII. 16. Hinc & Eph. V. 26. Christus dicitur

citur Ecclesiam suam remissione peccatorum, pro quibus morte ac meritis suis satisfecit, indultâ sanctificâsse, eandem quoq; purgâsse lavacrò aquæ per verbum h. e. Baptismò.

XXXV. Hoc itaq; regenerationis & fidei adipiscendæ medium cum gentiles æquè atq; ipsam verbi divini prædicationem negligant, mirum etiam esse non debet, quòd fidei salvificæ efficaciam fructusq; salutare non persentiscant. Est verò Baptismus secundum potentiam Dei ordinatam ejusmodi medium, quòd is regenerationis gratiam primum homini confert inq; eo accendit, vel collatam obsignat atq; confirmat. Solus tamen Baptismus & ablutio aquâ facta non est causa regenerationis, ita quidem, ut omnem aliam causam excludat, sed regeneratio quoq; & fides est ex verbo divino lecto, audito, expenso, quòcum Spiritus Sanctus ἐνεργείαν suam conjungit. Sic Christus Joh. xvii. 23. testatur, homines credituros esse in se per sermonem eorum, quos missurus erat in mundum. I. Cor. I. 21. dicitur, placuisse Deo, per stultam prædicationem (non quæ re ipsâ talis esset, sed quæ incredulis talis videretur,) servare credentes. I. Cor. III. 6. Paulus ait, se Evangelium prædicando plantâsse, Apollon uberiori fundamentorum fidei confirmatione additâ rigâsse, Deum verò dedisse incrementum, largiendo Spiritus Sancti ἐνεργείαν, quæ est δωρεὰ τοῦ Θεοῦ καὶ δωρεὰς, I. Cor. II. 4. imò potentia Dei ad salutem cuius credenti, Judæo imprimis, tum etiam Græco, I. Cor. I. 18. Rom. I. 16. Hæc sanè verbi prædicatione Paulus filios Dei abs se genitos esse testatur I. Cor. IV. 15. Ego, inquit, veluti spiritualis pater genui vos in Christo Jesu per Evangelium. Sicuti & Jacob. I. 18. dicitur: Pater luminum, quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quedam suarum creaturarum. Regeniti sumus non ex semine mortali, sed ex immortalis, per sermonem Dei vivi & manentis in æternum. I. Petr. I. 23. Coloss. 5. 6. fides in Christo Jesu & spes seposita in cælis dicitur esse audita & perlata per sermonem veritatis Evangelii, qui & in totum mundum pervenit.

XXXVI. Quæ ipsa si ad Gentiles applicare velimus, facile est dicere, illos ipsos sicuti verbi divini prædicationem à se amoliuntur, aut aliàs eâ justò Dei judiciò destituti vivunt, nec Sacramentis ad voluntatem Domini utuntur, ita fidem non habere, neq; immeritò Apostolum dixisse: *Quomodo invocabunt nomen Domini, in quem tamen non credunt? quomodo autem credent ei, de quo non audiverunt? quomodo autem audient sine prædicante?* — Sed non omnes au-

scultant Evangelio. Esaias enim (cap. LIII. I.) dicit: Domine, quis credit sermone nostro? Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Rom. X. 14. 16. 17.

XXXVII. Atq; ita ex dictis nullò constare potest negotiò, gentiles Christum ignorantes nullam salutis æternæ spem animò suò tutò concipere, neq; eandem ipsis ex Sacra Scriptura ostendi posse. Certè quos Deus pro omniscientia sua prævidit & præscivit, firmâ fide, quam per verbum & Spiritum sanctum in illis *πρὸς ζωὴν αἰώνιον τετραγμένους* nec gratiâ saluari indignos se reddentibus erat producturus, Christi meritum secundum vires unâ cum verbo conferendas esse amplexuro s; iis demum *καὶ πρὸς γινώσκοντες Θεοῦ πατρὸς* (1. Petr. I. 2.) *καὶ καὶ πρὸς Θεοῦ πάντῃ ενεργούντων καὶ τῶν βουλήν τῆς θελήματι αὐτῆς* Ephel. I. II. *benedixit omni benedictione spiritali in cælis IN Christo*, i. e. propter Christum, sicut elegit eos *IN ipso*, antequam jacerentur fundamenta mundi, — & charos sibi reddidit *IN illo dilecto*, *IN quo* habent redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem nimirum peccatorum ex divite ipsius gratia Ephel. I. 3. 4. 6. 7. quam gratiam ipsis dedit *IN Christo* (propter Christum & intuitu meritorum ejus) ante tempora secularia II. Tim. I. 9. Quos verò hęc pactò prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit vocatione ejusmodi, quæ finem propositum assequitur, ut Balduinus in Comment. notat, eos etiam justificavit, fidemq; imputavit pro justitia, (Rom. IV. 24.) quos autem justificavit, eos etiam glorificavit. Rom. II. 29. 30. Contrà quos Deus pro sua omniscientia prævidit, Christum cum suis meritis verâ fide finaliter non esse amplexuros, sed potius repudiaturus, eos non elegit, verùm potius reprobavit, & quamvis gratiam vocationis iis non denegârit, quoniam tamen eidem obsequi detrectant, hinc sicuti absq; fide manent, ita & Deus ipsos in tempore non justificat, quos autem non justificat, eos etiam non glorificat.

XXXIIX. Qui decretorum divinorum ordo singulorumq; executio si ad ipsos gentiles applicetur, neq; illi inter electos, neq; inter justificandos & salvandos nomen suum inveniunt, sed miseri secundum rigorem justitiæ divinæ damnationi æternæ erunt addicendi. Nos ea, quæ hætenus in medium attulimus, in unum Sylogismum compingemus, qui talis est futurus:

Quicumq; fidem salvificam non habent, sive qui non credunt, non possunt salvari, sed necessum est, damnationem æternam eos incurrere.

Atqui

Atqui Gentiles ad Christum non conversi fidem salvificam non habent, s. non credunt.

E. Gentiles ad Christum non conversi non possunt salvari, sed necessum est, damnationem æternam eos incurrere.

Major non solum inde manifesta est, quòd post hanc vitam non nisi duo status, sed valdè dispaes supersint: unus beatitudinis, alter damnationis, verum etiã ita ea à nobis est confirmata, ut apparuerit, sicuti ex parte hominum fides est causa impulsiva æternæ beatitudinis, ita ubi hæc causa non deprehenditur, sed *amissa* potius invaluit, ibi nihil aliud hominem post hanc vitam manere, nisi æternam damnationem. Quam doctrinam ex Scriptura Sacra à §. XIII. usq; ad §. XXVI. deduximus. Minorem à §. XXIX. usq; ad §. XXXVI. confirmavimus, ubi indicium factum, quòd gentes à Christo huc usq; alienæ partim idololatriã se polluant, partim in incredulitate perseverent, neq; appareat, quãnam ratione inde sint emerfuri, cùm media, per quæ Spiritus Sanctus fidem accendit & operatur, verbum nimirum & Sacramenta, negligant, neq; eadem, cùm possint, amplectantur. Ex his itaq; præmissis fluit conclusio, quam demonstrare sumus annisi, Gentiles nempe quamdiu in incredulitate sua perseverant, non posse spem salutis æternæ sibi facere, sed eosdem hæreditate istã, non nisi Filiis Dei paratã, excidentes justò Dei judiciò in æternum damnationis exitium ruere præcipites, æternãq; miseriam post hanc vitam manere involutos.

XXXIX. Quæ cum ita sint, non abs re scripsit B. Lutherus in Catechismo majore, ubi de Symbolo Apostolico agit: *Proinde ii articuli nostra fidei nos Christianos ab omnibus aliis, qui sunt in terris, hominibus separant. Quicumq; enim extra Christianitatem sunt, sive Gentiles, sive Turcæ, sive Judæi, aut etiam falsi Christiani, & hypocrite, quanquam unum tantum & verum Deum esse credant & invocent, neq; tamen certum habent, quòd erga eos animatus sit animò, neq; quidquam favoris aut gratia de Deo sibi polliceri audent aut possunt: quamobrem in perpetua manent ira & damnatione. Neq; enim habent Christum Dominum, neq; ullis Spiritus Sancti donis & dotibus illustrati & donati sunt.* Conferatur ejusdem B. Lutheri Epistola ad Johannem de Rechenberg perscripta, de quæstione: *An Deus homines sine verã fide decedentes salutis æternæ participes faciat?* quæ habetur Tom. Jen. Germ. II, fol. 271. 272.

* * * *

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I. **R**ectè quidem Novatianus agnovit, renatos in peccatum prolabi posse, lapsis tamen pœnitentibus reditum ad Ecclesiam malè præclusit; sicuti nec magnis criminibus gratiam ac veniam apud Deum esse paratam statuisse videtur.

II. Contrà Pelagius unà cum Cœlestio eò vesania se passus fuit abripi, ut renatos prorsus ἀπαθείς ἢ ἀναμαρτήτους fecerit, quibus, cùm non possint peccare, non opus sit orare: *Dimitte nobis debita nostras nisi forte non tam ex veracitate, quàm ex humilitate, neq; tam pro se, quàm pro aliis id facere voluerint.* Quæ hæresis in Concilio Africano plenario c.vi.vii.iii.unà cum aliis ipsorū erroribus est damnata.


III. Etiam si verò Novatianus *speciosò severioris disciplina obtentu*, Pelagius autem ingenii eruditionisq; famâ, præcipuè autem *pietatis specie, verbis publicè negans, quæ reipsà secretò doceret*, (ut Hieronymus de eo loquitur,) multos in suas traxerint partes, meritò tamen ille à S.Cypriano Epist. lx. *hostis misericordia, interfector pœnitentia, doctor superbia, veritatis corruptor, perditor charitatis*, hic autem à S. Augustino *hostis gratia, uterq; insuper desertor Ecclesia* est declaratus.


IV. Contra Novatianos rectè urgetur illud Paciani, Barcenonis Episcopi: *Nunquam Deus non pœnitentibus comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti.* Pelagianorum verò errori validè opponitur sententia S.Cypriani ex libr.III. Testim. ad Quirin. *Nemo sine sorde & peccato est*; quam & S. Augustinus libr.iv. adv. duas Pelagianorum Epistolas c.x. pro justitiæ nostræ imperfectione allegat.

V. Eandem justitiæ nostræ imperfectionem agnovit S. Cyprianus in Exposit. Orat. Domin. (quem locum quoq; Pelagianis opposuit S. Augustinus libr.iv. ad Bonifacium cap.ix.) quam & Concilium Milevitanum ex I. Reg. I. 46. Hiob. xiv. 4. xxxvii. 7. Ps. li. 8. Eccl. vii. 21. Dan. ix. 5. Jac. III. 2. I. Joh. I. 8. asseruit. Ingenua est confessio Apostoli: *In nullo quidem mihi conscius sum, sed per hoc non sum justificatus.* I. Cor. iv. 4.

VI. Quò locò S. Vlfraus Sec. iix. Radbodum Frisiorum Ducem baptizaturus gentiles absque regeneratione ex aqua & spiritu factâ ex hac vita decedentes habuerit, post alios commemorat Baronius in Annal. & ex eo Spondanus ad ann. Chr. D CC XIX. Ipsi verò sententia verbis Servatoris Joh. III. 5. & Marc. xvi. 16. nitebatur, à quibus huc usque Ecclesia Catholica non recessit.







mere nugacibus libellis ad fastum, non a
compositis, verborum monstros (ipse
Meister Wörter) omnia involvens, dis-
cem ipsi prætulit *Bartholomæus Sclei*, q
seculo in Polonia minore vixisse inscrip
universalis ostendit. Horum fanaticas
strinas, & prodigiosam mixturam, postm
novitate rei decepti, propagarunt. Qu
rari meretur fanatica foemina *Antonietta*
Rüsseliæ in Flandria nata, quæ nihil se
se, aut si quæ legerit, hæc cuncta per in-
mediatas revelationes ab ipso Deo accepit
Quæ si vera sunt, non satis capio, quan-
tias omnes, artes, Academias, alto super-
nens, omnium cujuscunq; religionis D
ptis nugaces Pseudo-Theosophi Böhmi
rendos opinetur.

XXXVI.

Antiquissimam esse hypothesin de t
essentialibus Hieronymus indicat tribuer
cleonitis, de quibus Lambertus Danaus
Augustini de hæresibus testatur, quod h
ci natura & essentia constare dixerint, co
quodam tertio. Eandem opinionem Ra
Gerhardus Tom. VIII Loco de morte S
partem essentialem Enthusiastarum plu-
ratione demum accedere, pleriq; à prim
sed peccato suffocatam per regenerati
tari somniant; Swenckfeldiani, Weigeli
stæ essentialiam hominis intrinsece constit
substantiam quidem esse fatentur, sed à

F 3

